

stinet, sitne ille idem Medicus dicendus, qui vltimum remediorum finem, vsum ipsum in actum traducit. Vt hoc cognoscamus, reliquarū caussarum regula proferenda est.

*Quis remedia probe confecturus sit.*

Remedium simplex, præparationis ingenio transmutandum est, ad corporeas ægitudines imminuendas. Quis hoc præstiterit nisi is, qui cognitam habet simplicium medicamentorum, non externam solūm habitudinem, sed internam qualitatū œconomiam? qui pernouerit, quo pacto ea, incolumibus facultatibus, ita accipiat, vt vtile ab inutili, purū ab impuro, mediocritatis pūcto seruato, opportunè discriminet? Hoc vt ritè queat, ipsos corporis affectus cognouerit necessum est, cū alterum relatorū sine alterius notitia haud vnquam planè constiterit. Est aut remedium ægitudinis remedium, & ægritudo remedij ægritudo, καὶ τὸ εἶναι quoque, si ad amissim rectæ rationis singula adhibeamus. Ergo is erit primaria efficiēs caussa, qui fine & materia præcognita, modum producendæ formæ prudenter & ingeniosè excogitârit. Hoc affirmat

mat